



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

LePrévost, Jean

Dvaci, 1629

Qvæstio X. De scientia beata anima Christi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)

cognouit. non potuit autem perfectè cognoscere mysterium Trinitatis absque visione beatifica; ergo. minor prob. quia aliàs solum cognouisset per fidem, quæ est notitia imperfecta in genere notiarum supernaturalium, vel ut summum cognouisset per scientiam infusam modo infra explicando, qui tamen modus non videtur ita consentaneus statui puri viatoris.

Corollarium.

7. Vidit Deum à primo instanti conceptionis.

Imò ex dictis patet Christum à primo instanti conceptionis fuisse præditum clarâ Dei visione. 1. quia talis visio debebatur animæ Christi tanquam moralis proprietas, nec erat occasio differendi eius collationem. 2. quia decebat illam animam in instanti vnionis perfectissimè se ad Deum cōuertere per claram eiusdem visionem & amorem; & decebat statim illis modis et perfectissimè coniungi. 3. quia Christus statim à primo instanti conceptionis fuit Filius Dei naturalis etiam secundum naturam humanam, & proinde statim ius habuit ad bona paternâ, clarâ scilicet eius visionem, nec fuit vlla ratio differendi concessionem hereditatis.

ARTICVLVS III.

Verum Christus habuerit scientiam inditam vel infusam?

3.

Sensus quæst.

Negat Scot.

Affirmat S. Th. & communis alij

Bene prob. ex Isai. 11.

9.

Prob. rationibus. Res supernaturales sunt clarè cognoscibiles extra Verbum in proprio genere.

10.

NOTANDVM quætionem esse de scientia infusa per se, quæ scilicet naturæ vires superat, non verò de scientia infusa per accidens, quæ licet quantum est ex sua conditione possit per vires naturæ acquiri, tamē reipsa à Deo sit infusa, quâ ratione Adamo collata fuit scientia naturalis rerum naturalium.

Scientiam per se infusam Christo negant Scotus in 3. dist. 14. q. 3. & quidam alij.

Concedit S. Thom. cuius sententia est omnino verior & communior Theologorum. Prob. à quibusdam ex varijs locis Euangelij, sed ut videtur, minùs solidè, cum quæ afferuntur commodè possint intelligi de scientia beatifica vel naturali.

Videtur aptè probari posse ex Isai. 11. *Requisces super eum spiritus sapientie & intellectus &c.* quibus verbis denotatur Christum quâ hominem futurum præditum notitiâ supernaturali, & quidem alia à beata.

Prob. ratione 1. res supernaturales creatæ ut gratia & virtutes supernaturales sunt in proprio genere cognoscibiles extra Verbum, & quidem clarâ & intuitiua notitiâ; ergo dicendum Christum has nosse. atqui non sunt ita cognoscibiles notitiâ naturali, sed solum notitiâ supernaturali; ergo datur in Christo supernaturalis istarum rerum notitiâ, ea autem non est fides, utpote obscura cognitio & per quam res in se non cognoscitur euidenter; non est etiam visio beata, cum hæc non terminetur ad res creatas in se immediatè & in proprio genere, sed ad Deum, & ut summum. Illo mediante ad alia, restat ergo ut Christus eas cognouerit scientiâ infusâ. prima conseq. prob. non debet negari Christo tanta perfectio quæ eius statui minimè repugnat.

2. In Christo sunt virtutes, ut q. 7. ostensum est; in quarum exercitio maximè connaturaliter debuit dirigi scientiâ infusâ; igitur in eo ponenda est huiusmodi scientia. minor prob. in exercitio virtutum non fuit directus fide, ut patet ex dictis q. 7. artic. 3. Non videtur dicendum quod dirigeretur clarâ Dei visione, quia exercebat plurima

opera virtutum tanquam viator; ergo erat magis conueniens ut dirigeretur notitiâ, quæ etiam potest in viatore inueniri, & nullam in suo genere dicit imperfectionem, qualis est scientia infusa.

3. Nisi talis notitia concedatur Christo, is minùs perfectè cognosceret res extra Verbum quàm Angelus; quia solum cognosceret notitiâ naturali, in qua Angelus superat; non videtur autem conueniens asserere Christum non habuisse perfectionem rerum cognitionem extra Verbum quàm habeat Angelus.

4. Probabile est beatos res supernaturales clarè nosse extra Verbum in proprio genere. igitur id non est Christo negandum.

Porro hanc scientiam etiam habuit ab initio conceptionis, quia ab initio non solum clarè vidit Deum, eumque amauit, sed etiam exercuit actus variarum virtutum supernaturalium; & omnino verius est quod eo instanti etiam clarè cognouerit ipsam gratiam in proprio genere; item visionem suam beatificam & virtutum actus, tum quos exercebat, tum quos exercebant alij; cum id fuerit illi moraliter debitum ratione vnionis hypostatice humanitatis cum Verbo.

De ipso lumine scientiæ infusæ, dicemus infra.

ARTICVLVS IV.

Verum Christus habuerit aliquam scientiam acquisitam?

AFFIRMAT. quia alioquin intellectus agēs, cuius munus est abstrahere species intelligibiles à phantasmatibus fuisset in Christo otiosus. Adde quod scientia naturalis sit magna animæ perfectio non repugnans altiori perfectioni.

Notandum S. Tho. non tantum velle fuisse in Christo scientiam naturalem quæ possit humanâ industriâ comparari, sed reipsa eandem successu temporis comparasse, quæ in re mutauit sententiam quam alibi tenebat, ut ait in corpore, de quo infra commodius q. 12.

Ex his articulis habemus quadruplicem in Christo esse scientiam, diuinam, beatificam, supernaturalem aliam infusam, & naturalem; quarum singulæ differunt naturâ & essentiâ; ita ut propter huiusmodi multiplicationem cognitionum non sequatur accidentia solo numero distincta respectu eiusdem obiecti simul poni in eodem subiecto.

QVÆSTIO X.

De scientia beata anima Christi.

ARTICVLVS I.

Verum anima Christi comprehenderit Verbum seu diuinam essentiam?

NOTANDVM ex S. Tho. 1. parte q. 12. art. 7. responsione ad 1. comprehensionem quantum ad præsens institutum pertinet sumi dupliciter. 1. prout opponitur prosecutioni, estque idem quod adeptio seu tentio rei, quæ ratione beati dicuntur comprehen-

Scientia infusa inueniri potest in viatore, & nullam dicit imperfectionem.

Hanc scientiam habuit Christus ab initio Concept.

11.

Resp. aff.

Sensu solutionis D. Tho.

Coroll. Quadruplex in Christo scientia.

1.

Comprehensio dicitur dupliciter.

fores,

fores, quia Deum possident, & modo rationali tenent per claram eiusdem visionem. Hoc modo accipitur comprehensio ab Apostolo 1. ad Cor. 9. Sic currit ut comprehendatur; & ad Philipp. 3. Sequor autem si quo modo comprehendam.

2. Strictè pro cognitione quā aliquid tam perfecte cognoscitur, quā ex parte sua est cognoscibile. quod addo, quia ad comprehensionem non requiritur ut ipsa cognitio sit tam perfecta quā esse potest, alioquin nihil comprehenderetur ab alio quā à Deo, cum solus Deus habeat perfectissimam noticiam ex parte ipsius notitiæ; sed ad comprehensionem sufficit ut res tam perfecte cognoscatur, quā ex parte sua & obiectivè potest cognosci.

Questio articuli procedit in secundo sensu; iam enim questione precedente art. 2. resoluit in Christo præter scientiam increatam esse beatam, quam habent comprehensores, & proinde certum est Christum quā hominem esse isto modo comprehendentem. Petitur ergo num etiam comprehendat Deum iuxta secundum sensum quo sumitur comprehensio, ad quod

Respondetur negativè; quæ conclusio videtur tam certa quā certū est nullam creaturam comprehendere Deum, imò nec posse comprehendere, quod communiter tradunt theologi; & videtur definitum in Conc. Lateranensi sub Innocentio 3. & refertur capitulo *Firmiter*, de summa Trinitate. ubi dicitur: *Firmiter credimus & simpliciter confitemur quod unus solus est verus Deus, æternus, immensus, & incommutabilis, incomprehensibilis &c.* à qua definitione universalis non possumus solido aliquo fundamento Christum quā hominem excipere; cum nō possit ostendi eius animam propter cōiunctionem ad Verbum peculiari ratione factam capacē comprehensionis quā essentia, cuius ceteræ animæ vel Angeli non sint capaces. Conf. si esset capax, vel id oriretur ex lumine gloriæ, vel ex peculiari Dei cōcursu; sed quodcumque lumen, & quicunque concursus dari potest animæ hypostaticè Deo unitæ, potest etiam concedi animæ non unitæ, ergo.

2. Ex hac definitione habemus animam Christi non solum non comprehendere Deum de facto, sed nec posse comprehendere.

Eadem conclusio patet ex scriptura Ierem. 32. *Magna consilio & incomprehensibilis cogitatu*, ad Rom. 11. *Quam incomprehensibiles sunt iudicia eius, & inestimabiles viæ eius.* Quæ loca in omni proprietate sumpta non solum ostendunt Deum non posse per vires naturæ comprehendi, vel etiam de facto non comprehendendi à beatis; sed tantæ esse perfectionis & eminentiæ supra omnem creaturam, ut per nullam potentiam creatura eum valeat comprehendere.

Porro quomodo Deus non comprehendatur à beatis, quamvis eum clarissime videant, & ita quidem ut nihil quod sit in Deo eos lateat, explicatur à commentatoribus S. Tho. art. 7. questionis 12. citatæ, quod non iudicamus hic examinandum, eum quoad animam Christi nulla sit peculiaris difficultas quæ de alijs beatis moveri non possit; & proinde si possit solui & debeat quoad illos, possit etiam solui quoad animam Christi.

Quamvis autem Christi anima per visionem beatificam non comprehenderet diuinam essentiam, nihilominus eam clariùs & perfectiùs vidit quā vllus alius beatus; cum perfectio visionis respondeat perfectioni gratiæ; constat autem ex dictis q. 7. art. 10. Christum habuisse maiorem gratiam

quā vlla pura creatura habuerit; imò sit probabile habuisse maiorem gratiam, quā omnes creaturas simul sumptas.

Conf. 1. conuenit inter doctores quod B. Virgo perfectiùs Deum videat quā videat etiam supremus Angelus; constat autem Christum perfectiùs Deum videre quā videat sanctissima eius Mater.

Conf. 2. omnino congruit eum qui alijs est causa beatitudinis, illam habere in gradu longè excellentiori quā habeant ij qui ab eo participant; & congruit ut fons superet riuos; ergo ex eo capite conuenit ut Deum perfectiùs videat quā vllus purus homo.

Conf. 3. conuenit filium naturalem præstantiorem habere hereditatem quā adoptiuos.

Contra resolutionem obijci potest S. Fulgentius responsione questionis 3. ad Ferrandum Diaconum; ubi ait, *Sanitati fidei penitus alienam ut dicamus animam Christi non plenam suæ deitatis habere noticiam; cum qua naturaliter vnā creditur habere personam; quæ penè ad verbum inferius repetit.*

Resp. illam locutionem esse satis duram, & Fulgentium in re non videri aliud velle quā quod Christus homo ratione notitiæ increatæ Deum comprehendat, seu quod comprehensio Dei tribuatur homini Christo per communicationem idiomaticum. id solum probant varia loca, quæ adfert in confirmationem suæ doctrinæ.

ARTICVLVS II.

Virum anima Christi in Verbo cognouerit omnia?

SUPPONIT S. Tho. ex 1. parte q. 12. art. 8. beatos aliqua videre in Verbo, hoc est, eadem cognitione quā vident diuinam essentiam quædam alia cognoscere, & quidē non per accidentis & quasi concomitanter eadem cognitione solum se extendente ad diuinam essentiam & alia obiecta, sed ita ut diuina essentia sit ratio & causa cognoscendi cetera obiecta, ita ut visio beatifica respiciat primò diuinam essentiam tanquam obiectum principale, & illa ipsa essentia sit ratio per eandem noticiam tendendi in alia obiecta.

Respondet duabus conclusionibus. Prior: anima Christi non cognoscit omnia quæ sunt in Dei potentia.

Posterior: cognoscit tamen omnia quæ Deus cognoscit scientiā visionis.

DVBIVM I.

An anima Christi cognoscat omnia possibilia?

SILICET, simul & ratione status beatifici. Huiusmodi scientiam concedit animæ Christi Dur. 3. dist. 14. & aliquot alij passim citati.

Sed communius negatur cum S. Tho. qui id ex eo probat, quod alioquin anima Christi comprehenderet diuinam essentiam, cum non possent omnia ex illa cognita cognosci quin ea perfectè penetraretur; nam quo plura cognoscuntur in aliquo, eò principium in quo & ex quo cognoscuntur, debet perfectiùs penetrari. ergo si omnes effectus cognoscantur, debet perfectissimè penetrari & per consequens comprehendi.

Verum licet conclusio ut dixi sit cōmunis & omnino tenenda, ratio non videtur carere difficultate.

H 2

1. Quia

Probabiliter Christus maiorem gratiam habuit quā omnes creaturæ simul sumptæ

Obiectio ex Fulgent.

5.

Soluitur; & explicatur S. Fulgentius.

6.

Quid sit beatus aliqua cognoscere in Verbo.

Resp.

7.

Sensus dubij. Affir. Dur. & aliqui. Auctor adhaeret S. Thom. neganti.

Ratio 5. Tho. non caret a cultate.

1. Quia aliqui non improbabiler censent beatos non videre formaliter creaturas in Verbo, sed in proprio genere, (de quo ex professo tractabo 1. p. q. 12. art. 8.) iuxta quorum sententiam ex cognitione omnium possibilium etiam distincta non sequitur Dei comprehensio, ut tradunt varij. Videri potest Lorca disp. 50. num. 3.

8.

2. Eo neglecto & concessio quod beati vi visionis beatificae aliqua etiam in particulari cognoscant in Verbo; varij censent non sequi Deum comprehendi, si ponantur omnia etiam possibilia distincte & in particulari cognosci; non enim ideo Deus adequatè cognoscitur, & quantum est ex se cognoscibilis, quod omnia etiam in illo cognoscantur; igitur ex huiusmodi noticia non sequitur Dei comprehensio, quia Deus est longè perfectioris naturae quam sint eius effectus, cuius perfectio non ideo adequatè penetratur eò quod omnes eius effectus cognoscantur etiam vi visionis quā Deus ipse clarè videtur.

Conf. 1. etiam si quo plures effectus cognoscantur in aliquo principio, eò principium debeat amplius penetrari; tamen quando ipsum principium est alterius & altioris naturae quam effectus, atque adeo quando est causa equiuoca, non sequitur illud adequatè secundum se cognosci, eò quod in ordine ad talem effectum penetratur.

Conf. 2. in presenti ex eo quod omnes creaturae possibiles in Deo clarè viso cognoscantur, non videtur aptè deduci quod penetratur generatio Filij & processio Spiritus sancti. Prætermittit ergo illà ratione, de qua in presenti nihil dico, cum ex professo particularius alibi sit examinanda.

9.

Aliter probatur conclusio.

Censet conclusio S. Thom. esse veriorē (licet ut aduertit Suarez disp. 26. sect. 2. concl. 1. non pertineat ad fidem, sed sit tantum opinio probabilior) quia nulli creaturae communicata est noticia omnium possibilium, nec est quod ex aliquo peculiari capite eam debeamus tribuere animæ Christi, quia non pertinet ad eius statum. quid enim refert ad statum animæ Christi quod cognoscat infinita, quæ Deus potest facere, nunquam tamen sit facturus?

Obiectio.

Dices si hæc non cognoscat, dicendum erit eam aliqua ignorare; quod nullo modo videtur concedendum.

Resp.

Resp. non esse absurdum concedere ignorantiam seu nescientiam variorum, quæ ad illius statum nullo modo pertinent: quemadmodum nullam dicit imperfectionem vel inordinationem in beatis, quod in illo statu felicissimo ignorent varia, quæ ad illos nullo modo spectant.

Non dicit in beatis imperfectionem quod quædam ignorent nullo modo ad se spectantia.

Aduerte tamen verius esse animam Christi cognoscere aliqua possibilia, quæ nunquam erunt ut quæ fieri possunt à creatura cuius potentiam penetrat.

DUBIUM II.

Utrum Christus cognoscat in Verbo omnia quæ Deus cognoscit scientiâ visionis?

10.

SUPPOSITO quod Christus aliqua cognoscat in Verbo vi visionis beatificæ (de quo in presenti non disputo) nec tamen cognoscat omnia possibilia; quæri potest quàm latè pateat huiusmodi cognitio, & in genere dici potest quod per eam cognoscat omnia quæ ad suum statum pertinent. ita enim communiter doctores censent de omni-

bus beatis in 1. parte q. 12. art. 8. & nulla regula commodior potest assignari. Si enim beati in Verbo aliqua creata cognoscunt, idque lege aliqua fixa, videtur omnino dicendum ea cognoscere quæ iuxta suum statum decet illos non ignorare, saltem iuxta moderationem infra ponendam. Videndum in particulari quænam Christus cognoscat.

11.

Dico 1. omnino verius est eum cognoscere omnes substantias quæ sunt, fuerunt, vel aliquando futurae sunt.

1. Conclusio. Christus cognoscit omnes substantias quæ sunt, fuerunt & erunt. Prob.

Prob. omnes substantiæ creatæ possunt in triplici ordine, quantum ad presens institutum pertinere, constitui. 1. sunt purè intellectuales, Angeli scilicet & demones. 2. est homo. 3. sunt substantiæ inferiores. Homines cognoscit, cum sit saluator hominum, & nemo possit gratiam vel gloriam recipere nisi per illum, & proinde talis noticia pertinet ad eius statum. Est etiam omnium iudex, & unicuique reddet vel præmia vel supplicia. 2. inferiores substantiæ propter hominem sunt conditæ; igitur etiam harum noticia pertinet ad statum Christi, cum pertineat ad statum capitis nosse ea quæ homini sibi subiecto deferunt. 3. Christus est etiam caput Angelorum, quos illuminat & mittit in hominum ministerium; ergo pertinet ad eius statum illos nosse. Pertinet etiam ad statum nosse demones, per quos homines dum in hac vita versantur, tentantur, & per quos torquentur damnati.

12.

Dico 2. Christus nouit etiam cogitationes & volitiones, quæ usque ad diem iudicii sunt futurae saltem in hominibus in hac vita degentibus; quia debet de illis iudicare, & illis præmium reddere, vel eas punire. unde illa noticia ad eius statum pertinet.

2. Conclusio. Christus cognoscit etiam cogitationes & volitiones usque ad diem iudicii futuras, saltem in hominibus hic degentibus.

Et quamuis quedam nec sint bonæ nec malæ moraliter, non obstat, quia id est per accidens defectu aduertentiæ & libertatis, de cetero ex sua generali conditione tales sunt, ut propter eas homines iudicari possint & præmio affici vel puniri.

Propter eandem rationem nouit voluntates bonorum Angelorum, quibus volunt homines ad salutem dirigere, & demonum quibus volunt homines pertrahere ad peccatum. adde non esse improbabile quod cognoscat etiam illa quæ sunt à brutis animalibus, cum sit earum dominus, & quæ ab eis sunt sæpe habeant connexionem cum factis hominum.

Dico 3. nouit etiam diem iudicii: cum non minus pertineat ad eius statum scire tempus quo iudicium debeat exercere, quàm illa de quibus debet iudicare. Conf. id videtur insinuare Matth. 24. illis verbis: *et nisi breuiati fuissent dies illi non fieret salua omnis caro*, & sequentibus; quibus declarat quænam iudicium sint præcellura.

3. Conclusio. Nouit etiam tempus iudicii. Matth. 24.

Dices eodem capite ait: *De die autem illa & hora nemo scit, neque Angeli celorum nisi solus Pater*; quod expressius dicit Marci 13. *De die autem illo & hora nemo scit neque Angeli in celo, neque Filius nisi Pater*.

Varia huius loci explicationes videri possunt apud Valent. disput. 1. quaest. 10. puncto 2. in solutione 1. argumenti. Suarez in commentario huius art. Valsq. disp. 51. & S. Tho. hic ad 1.

Obiectio. Locus difficilis Mat. 24. & Mar. 13.

Ariani hinc colligebant Filium non esse Patri consubstantialē, quia nimirum quædam ignorat quæ nouit Pater; quibus ut responderent aliqui Patres censebant sententias iam allatas intelligendas de Christo non secundum diuinitatem, sed

Ariani. Quorundam Patrum interpretatio.

sed secundum humanitatem, sed minus probabili-
ter, vt ex dictis patet. hac ergo responsione & qui-
buldam alijs praeemissis,

Resp. inde non colligi Christum etiam quā ho-
minem ignorasse diem iudicii, sed solum quod
illum nescierit tanquam legatus, & inter puncta
suae legationis non habuerit, vt videlicet tanquam
doctor à Patre missus illum doceret genus huma-
num. Videri potest Hilarius lib. 9. de Trinitate.
Ambros. lib. 5. de fide cap. 17. Augustin. lib. 1. de
Trinitate cap. 12.

Conf. petierant discipuli, *dic nobis quando haec
erunt, & quod signum aduentus tui, & consummationis
saeculi*: Christus autem postquam varia signa ex-
tremum iudicium praecedentia illis dedisset, no-
lens diem & horam explicare, adiicit; *de die au-
tem illo, &c.* quasi dicat, mihi commissum non est
vt illum diem vobis aperiam, & tanquam legatus
eum nescio, scilicet vt alijs manifestem. ita enim
potest agere legatus, si interrogetur de rebus à
legatione sua alienis. Ex qua explicatione patet
Patrem non posse dici simili ratione illum diem
nescire, cum non obeat legationem nomine alte-
rius.

Dices Christus eo modo dicit se nescire quo ne-
sciunt Angeli, atqui Angeli omnino ignorant
diem iudicii; igitur Christus secundum naturam
humanam dicendus est illum ignorare.

Resp. 1. posse dici ex hoc loco praecise non satis
constare, quod Angeli ignorent diem iudicii, vt
respondet Suarez in fine commentarij.

Resp. 2. negando maiorem, quia Christus nul-
la comparationis nota videtur, sed simpliciter as-
serit neque Angelos, neque se scire illum diem,
quod potest verificari, etiam si Angeli omnino ne-
sciant, ille vero non ita sciat vt alijs debeat re-
uelare.

Aliqui etiam non improbabilius censent Chri-
stum praedicta sententia velle naturam humanam
ex se consideratam illum diem ignorare, quasi di-
cat tam esse reconditam huius diei cognitionem
vt neque Angeli, neque natura humana secundum
se possint eum cognoscere, non vero intendere
negare illam eandem naturam scire prout est as-
sumpta, cui notitia illius diei diuinitus sit com-
municata. Et de his satis conuenit inter do-
ctores.

Ceterum inter se differunt, num etiam cogno-
scat in Verbo ea quae post iudicium in omnem
aeternitatem sunt futura, v.g. blasphemias internas
& externas damnatorum, cogitationes & laudes
sanctorum.

Aliqui negant, eo quod notitia illorum non
pertineat ad illius statum, cum totum munus
suum in iudicio sit peracturus, adde futurum parui
momenti scire quas cogitationes aut volitiones
vniuersique habeat. Alij tamen asserunt, quorum
sententia non est improbabilis. vnde

Dico 4. probabile est Christum nosse futuras
cogitationes & volitiones, saltem hominum, et-
iam post diem iudicii; quia pertinet ad iudicem
supremum cognoscere quid facturi sint iudicati
tam in supplicio quam in praemio. Conf. omnia
dona supernaturalia hominum beatorum est pro-
meritus, etiam ipsas pias cogitationes & pios ani-
mi motus; ergo non est ab eius statu alienum illa
cognoscere. Dixi, *saltem hominum*, quia haec ratio
non ita militat in Angelis; quamquam non sit im-
probabile etiam eorum cogitationes & motus co-
gnoscere, cum etiam quā homo sit eorum caput.

Ex his patet probabile esse quod Christus co-
gnoscat omnia quae Deus nouit scientia visionis,
vt docet S. Thom. responsione ad 2. & indicat in
corpore, censens quod cognoscat quae quomodo-
cunque sunt vel erunt, vel fuerunt, vel facta, vel
dicta vel cogitata à quocunque, secundum quod-
cunque tempus; vbi particula, *quocunque tempus*,
non solum extendit cognitionem Christi vsque
ad finem saeculi, sed in omnem aeternitatem, &
opponitur ijs quae quidem sunt in potentia, nun-
quam tamen reducenda ad actum, vt patet ex S.
Tho. in corpore.

S. Thom. in fine corporis indicat Christum non
solum cognoscere omnia quae Deus cognoscit
scientia visionis, sed etiam omnia quae sunt in po-
tentia creaturae, scilicet quantum nunquam redu-
cenda sint ad actum, vt patet ex oppositione quam
instituit inter ea quae sunt in potentia Dei & ea
quae sunt in potentia creaturae. Ratio eius est
quod comprehendat in Verbo essentiam omnis
creaturae, & per consequens potentiam & virtu-
tem, & omnia quae sunt in potentia creaturae.

Quae doctrina non caret difficultate; cum hu-
iusmodi penetratio creaturae non videatur per-
tinere ad statum beatitudinis animae Christi, &
non necessario colligatur ex alio capite. 2. ex pe-
netratione essentiae &c. non sequitur quod co-
gnoscat supernaturalia ad quae creatura est in po-
tentia obedientiali.

Nihilominus tamen S. Thom. sententia intel-
lecta de ijs quae sunt in potentia naturali creaturae
est probabilis, quia supposito quod Christus vi-
deat aliqua creata in Verbo, item supposito quod
videat in Verbo omnia quae ad eius statum perti-
nent, non videtur villo modo negandum quod
Christus ea tam perfecte cognoscat per scientiam
beatam quam Angelus cognoscat per scientiam
naturalem, qui potest res naturales comprehen-
dere, & earum virtutem in ordine ad effectus natu-
rales. Ex quo patet responsio ad priorem rationem
allatam in contrarium; similiter & ad
posteriores.

Petes 1. vtrum anima Christi possit intuitiue
cognoscere futura antequam sint?

Aliqui insinuant id fieri posse per specialissi-
mum Dei auxilium. Sed id nullo modo videtur
fieri posse, quia intuitiua cognitio eorum quae non-
dum sunt, videtur adeo sublimis & difficilis expli-
catu, vt nisi fides contrarium doceret, vix ea Deo
tribueretur: vnde licet tribuatur Deo propter in-
finitam ipsius perfectionem, nulli tamen intelle-
ctui creato videtur concedenda.

Petes 2. vtrum Christus simul cognoscat illa
omni quae haecenus recensuimus.

Ex vna parte videtur quod sic; alijs enim deberet
variari ipsa visio beatifica; cum sit essentialiter re-
praesentatio, quae variato obiecto repraesentatio-
nis variari debet. Nec obstat quod idem rema-
neat obiectum primum, quia si in illo cognito
nunc haec, nunc illa cognoscantur, ipsa cogni-
tio non potest remanere inuariata etiam respectu
illius.

Ex altera tamen parte videtur dari successio in
cognitione istorum obiectorum secundariorum;
quia haec idcirco dicuntur cognosci à Christo,
quod ad illius statum pertineant; sed non est ne-
cesse vt beati ab initio suae beatitudinis cogno-
scant ea omnia quae ad illorum statum perti-
nent; verbi gratia, vt beatus Petrus cognoscat

17.
Coroll.
Et tandem
omnia quae
Deus no-
uit scientia
visionis.

18.
Sententia
D. Thom.

Difficilis
videtur.

Est tamen
probabilis
in quodam
sensu.

19.

Quest. 1.

Resp.
Anima
Christi nō
cognoscit
intuitiue
futura ante-
quam sint.

20.

Quest. 2.
An cognos-
cat simul
omnia.
Dubitatur
in vtraque
parte.

ab initio suae beatitudinis totum progressum Ecclesiae, ut singuli fundatores Ordinum cognoscant totum progressum suae religionis in bonum tuum proprium tuum proximi, omnes & singulos defectus, sed abunde sufficit si plurima cognoscant dum fiunt.

21.

Resp. 1.
Christum
non vide-
re simul
omnia re-
censita, non
est impro-
babile.

Conf. aliàs dicendum erit Angelum iam cognoscere diem iudicii, cum huiusmodi notitia videatur ad eius statum pertinere, scire videlicet quando finienda sit hominum custodia.

Resp. 1. si rem ex generalioribus principiis spectemus, hanc posteriorem partem non videri improbabilem, iuxta quam dicendum erit Christum non videre omnia & singula vi visionis beatificae formaliter, aliàs admittenda videretur variatio in ipsa visione, ut ostendit ratio facta pro priori parte, sed solum causaliter: ita tamen ut non possit dici quidquam ignorare quod ad suum statum pertineat; nam iuxta illum dicendi modum diuina providentia ita illi assistit ut quidquid voluerit nosse, possit facile actu cognoscere.

22.

Resp. 2.
Probabilius
tamē simul
omnia co-
gnoscit vi
perfectissi-
mæ visionis
Satisfit ar-
gumentis
contrariæ
sententiæ.

Resp. tamen 2. verius esse quod omnia simul cognoscat vi visionis, quæ sit tam perfecta ut sufficiat ad illa omnia simul representanda, & id esse magis consentaneum dignitati Christi.

Itaque ad rationes pro prior parte allatas Resp. concedendo non quemlibet sanctum videre ab initio suae beatitudinis omnia quæ ad eius statum pertinent, sed plura vel pauciora, iuxta præstantiam luminis concessi pro exigentia meritum ipsius, cetera cognoscere successivè ex vi status beatifici causaliter; atque ita non requiri ut etiam Angelus ab initio suae beatitudinis cognoscat diem iudicii.

23.
Christus
cognoscit
infinita, si-
nito lumi-
ne.

Dices si Christus simul illa omnia cognoscat, cognoscit infinita, quod fieri nequit sine lumine infinito, & infinita actuali extensione actus.

Resp. concessa priori parte, negando posteriorem, quia ut infinita hoc modo cognoscantur in aliquo perfectiori cognito, sufficit ut ipsum lumen & visio in sua entitate individuali sit perfectior; non enim se extendit ad plura videnda per additionem gradus in ipso lumine vel visione, sed per aliam numero visionem, quæ sese ad plura extendit; quod potest præstare lumen finita perfectionis, quia per illud non nisi finitè videtur obiectum primum, scilicet Deus.

ARTICVLVS III.

Utrum anima Christi in Verbo cognouerit infinita?

24.

Resp.

RESPONDET 1. non cognoscere infinita per scientiam visionis, intelligit de cognitione substantiarum, ut facile patet ex corpore, & quia aliàs aliquo modo repugnaret ijs quæ tradiderat art. precedenti ad 2.

Respondet 2. scientiæ simplicis intelligentiæ posse infinita, quatenus cognoscit quæ sunt in potentia creaturæ. intelligit similiter de substantijs. Res huius articuli patet ex dictis dubio precedenti.

ARTICVLVS IV.

Utrum anima Christi videat Verbum siue diuinam essentiam clariùs quàm libet alià creaturā?

AFFIRMAT, quod patet ex dictis circa art. 1.

Resp. affir.

QVÆSTIO XI.

De scientia indita vel infusa animæ Christi.

ARTICVLVS I.

Utrum secundum scientiam inditam vel infusam Christus omnia sciat?

1.

RESPONDET 1. per hanc scientiam Christum nouisse omnia quæ sciri possunt ab homine per virtutem intellectus agentis, sicut sunt quæcunque pertinent ad scientias humanas.

Respondet
tribus con-
clusioni-
bus.

Respondet 2. per eandem cognouisse omnia quæ per reuelationem diuinam hominibus innotescunt.

Respondet 3. per illam non cognouisse diuinam essentiam.

DVBIUM I.

Quanam creata cognouerit Christus per scientiam per se infusam?

DICO 1. per huiusmodi scientiam clarè intuitivè cognouit res supernaturales creatas; ut gratiam sanctificatam, charitatem, spem, fidem, aliasque virtutes supernaturales; lumen gloriæ; imò ipsum modum vniōis hypostaticæ, quatenus est aliquid à Verbo distinctum.

1. Conclus.
Per hanc
cognouit
clarè intuitivè
res su-
pernatu-
rales.

Prob. hæc & similia obiecta possunt clarè cognosci per notitiam aliquam inferiorem quàm sit beatifica; cum vnaquæque res possit cognosci notitiā sibi proportionatā tanquam terminus conaturalis talis cognitionis; res autem creata non requirant per se visionem beatam.

2.
Prob.

Confir. non potest merito dubitari quin possit extra statum beatitudinis communicari etiam puræ creaturæ clara & intuitiva notitia similibus obiectorum, hoc posito, subsumo; sed obiecta de quibus agimus non possunt cognosci clarè intuitivè per notitiam naturalem; ergo requirunt supernaturalem: non possunt cognosci per fidem, quia per actum fidei res non potest clarè cognosci, sed solum obscurè, restat ergo ut detur alia notitia, per quam illa clarè in proprio genere cognoscantur, quæ notitia supernaturalis non est alia quàm scientia infusa, de qua agimus.

3.

Porro huiusmodi notitia est magna perfectio, quæ nullam in suo ordine inuoluit imperfectiōnem repugnantem statui beatifico, cuiusque perfectiōni; & de cetero maxime decet Christum, & decuit dum in terris versaretur: igitur talis cognitio ei non est neganda.

Scientia in-
fusa nullam
dicit im-
perfectiōnem
statui bea-
tifico repug-
nantem.

Conf. 1.